

tis indicium, & excusæ jam tandem a Theologia Candidatis desidia, atque languoris argumentum. Hanc vobis felicitatem etiam atque etiam gratulor Sapientissimi PP. ut enim hoc veris diluculo, ridere prata, flores erumpere, frondescere arbores, furculos gemmas agere, non sine lætitiæ sensu percipimus, annuque ruris muneribus opimum, beataque fecunditate luxuriantem auguramur; ita renasci veluti litteras, refflorescere disciplinas, vernare musas, lati & alacres contuemur; futuramque deinceps Academiæ nostræ frequentiam ominamur, dum in tanto juvenata flore præcoces ac præmaturos eruditionis ac Sapientiæ fructus inspiciamus.

Neque tamen, Erudite ac Rel. Candidate, nos voce recreat, reficitque, quod nobis felicioris tempestatis præfagium canis. Aliquid in te Spe majus agnoscimus, dignisque jam fructibus cumulatum, eximium scilicet litterarum cultum, navatam egregie studiis operam, expressam in vultu, in verbis, in gestu modestiam, & quæ in adolescente Sacris addicto suspicienda magis est, morum probitatem & innocentiam. Hæc tibi, hæc solida coronæ loco sit, sine qua coronæ omnis deflorescit, marcescit Laureæ, ipsaque Doctrina quibuslibet titulis nobilitata, vanitas est.



C A R M I N A

Q U Æ D A M

A D

NATALEM ALEXANDRUM O. P.

PURIORIS THEOLOGIE MORALIS SCRIPTOREM,

Cujus ipse pro sua pietate religiosissimus est observator.

Magnam opus est, morum canones tam scribere sancte; Te tamen, ut scribis, vivere, majus opus.

In Jesuitas repetitis Decretis in causa Sinensi damnatos, errores tamen suos obstinatius ferventes.

Ad effigiem ejusdem R. P. Natalis Alexandri.

Dum Chinæ simplex infusio fumitur haustu A nobis febris continuata fugit.

Per quem Religio stetit inconcussa, fidelisque Historiæ, & pietas, & constans regula morum;

At dum vos Socii Sinæ Decreta voratis, Deterior febris Dæmonis arte redit.

Aspice Alexandrum: sæculo sic noscitur uno Mille sepulta libris, Patrum rediviva virtutas.

Ad imaginem S. Thomæ, positam in superiori parte Bibliothecæ Casanatensis.

Ejusdem P. Natalis Epitaphium.

Mille libros hospes quid quaris cernere? Thomam Suspice, major enim Bibliotheca fuit.

Natalis jacet hic, fat dixi, cætera norunt Et Tagus, & Ganges, forsitan & Antipodes.

Ad Patrem Simonetam Ex Jesuitam Censuræ medullitus Pelagianæ fabricatorem.

Ludovico XV. Galliarum Regi, Ludovici XIV. pronepote.

Jure, fodalitio ejectum te quisque putabat. Injuste id factum, nunc Simonetam probas.

Sceptra tenes proavi, proavus, tritavusque tenebis: Nomine magnus erat, re quoque major eris. Nempe reges Populos proavi virtute, tuæque. Terrore hic tantum, tu quoque amore reges.

Nam dum Censuram fabricaris Pelagianam Hæc Lojolitam te probat esse bonum.

In Joannem Checcocium Historiæ Ecclesiasticæ Professorem.

Viro clarissimo Joanni Gratiano historiæ Venetæ Scriptori.

Historiam sacram dicis te velle docere. Cum nemo te capit, dic mihi quos doceas?

Historiæ, mihi crede, tuæ si nomina demas Romanum quisquis legerit esse putat. Sic regit imperio populos Romanus, & Orbi Jura dat, haud aliter Livius eloquitur.

In eundem Scripturæ Sacræ Subrogatum Interpretem.

Illustris. D. Marcioni Salvatico jure suo cedenti in causa gravissima pecuniaria.

Scripturæ Sacræ interpres, Checcoci dixeris esse: Quis vero interpres dicitur esse tui? At dic, interpres quis tuus esse potest?

Adversæ parti causam dum tradis amice: Errat qui causa te cecidisse putat. Causa non cadit ille; novo sed surgit honore, Qui sibi fit judex arbiter ipse sui.

Ad eundem Historiæ Professorem.

Ad Cupetiolem.

Fallitur, Historiam te quisque docere putaret; Cujus dicta capit nemo, quid ille docet?

„ Qui contra me nescio quid scripturire blaterabat. Scribere tu dicis contra me, Cupetiole. Erras: non scribis, dum tua nemo legit:”

Ex Martiali ad Cinam alludit eadem.

„ Vericulos in me narratur scribere Cinna
„ non scribit, cuius carmina nemo lege

Ad duas Tabellas in quodam Refectorio fitas, in quarum una Nuptie in Cana Galilee celebratae, in altera, ultima Christi Domini cena cum Discipulis habita, representatur.

Sex hydriae in Cana divina voce rubescunt
Vino, & terrenis gaudia sunt epulis.
Ait juber in cena vinum deperdere formam
Christus, & Angelicis gaudia sunt epulis.
Gaude ergo vino convivans, & sine vino,
Tunc terrenus eris, tunc eris Angelicus.

Ad clarissimum Virum Lazarum dum elegias duas in laudem Cardinalis Francisci Barbadii recentis Episcopi Patavini editas ad ipsam mitteret.

Decus Aonidum, Patavini gloria Pindi.
Accipe Pastori carmina data novo.
Mec mirere, Choros quod te duxisse Sororum
Dicam: Major enim nullus Apollo fuit.

Ad Sepulchrum Ludovici Borboni S. Ludovici primogeniti, a quo Borbonia stirps orta est.

Hic stirps Borbonidum; hic augusti nominis au-
ctor
Conditur; hi tumuli velut incubabula Re-
gum.

Huc veniant proni regali ex stirpe nepotes
Borbonii hic regnant invito funere manes.

Ad Imaginem D. Thome officium Augustissimi Sacramenti scribentis.

Panis Angelici
Arcana referat
Doctor Angelicus.
Stupete Gentes.
Fecit hoc sui mysterium Corporis
Deus humana patiens.
Facit hoc sui mysterium ingenii
Homo divina sapiens.
Quo Christus caruem
Hoc Thomas mentem
Tradidit Sacramento.

Epitaphium in Ecclesia Montis Ortoni.

Magdalena Gometz
Caroli Patini publici in Gymnasio Patavino
Medicinae Professoris, & Equitis
Conjux dulcissima,
in adverso, & prospero
Socia fidelissima.
E patrio solo Parisiensi in Patavium
alternante fortuna cum Viro translata
Equo animo semper usa:
Sacris litteris supra sexum est culta
omni virtutum genere ornatissima
Dum in campetri trium montium secessu
Deposita rerum omnium cura
Confectum macie corpus solo spiritu regit
Ipsamque mortalitatem pene exiit ante mortem
ad aeternam vitam evocatur.
Anno aetatis suae LXXXIX. Erae Christiane
MDCCLXXII.

In Templo FF. Praedicatorum Bononiensium.

Divo Dominico
Tutelarum patris Genio
Saluti populorum de proximo excubanti
parem beneficiis animum probaturus
Senatus Bononiensis
Eminentissimis Principibus
Laurentio Casono Legato Pontificio,
& Jacobo Boncompagno Sacrorum Antistite,
pia procerum studia excitantibus;
dicatam sacris ejus diem
publica Civium gratulatione
festo campani aeris pulsu,
& saluatoria tormentorum emissionem
in posterum celebrandam addixit
rem divinam

Præsentibus Eminentissimis Principibus
Univerfoque Senatorum ordine
ex solenni formula faciendam
edicto sanxit.

Humili apud Clementem XI. prece agens
ut indicta in hanc diem vacatione
soluta operum Civitas
Sospitale, ac praestitem Divum
Religiosus in vota vocet, propitiet, veneretur.

His parenti Sanctissimo decretis honoribus
excita soboles
gratumque Senatui animum testatura,
hoc publicæ pietatis monumentum posuit,
in quod praesentes respiciant, populique Nepotum,
Anno MDCCXII.

BRIXIA MÆRENS EXULTANS
PATAVII

CONSOLATORII LITTERIS RECREATA,

Dum Eminentissimus S. R. E. Cardinalis

JOANNES FRANCISCUS
BARBADIUS

E Brixienſi Sede in Patavinam translatus,
solemni ritu, festoque plausu,
Patavii exciperetur.

BRIXIA MÆRENS

Ereptum sibi Praesulem queritur.

E L E G I A

HEI mihi Praesul ubi est? ubi sunt mea gau-
dia? quanto
Me dura immeritam fata dolore premunt?
Solvitur in lacrymas, gemitumque ad sidera tol-
lens
Inclamat populus, sicine Pastor abit?
Compita Pastor abit, late percussa reponunt;
Reddunt & calles undique, Pastor abit.
Ah! BARBADIUM nostris excedere terris.
Hei! forsitan nostro crimine laesus abit.
Dic quæ causa, meos tandem averſatus honores,
Hinc facit ut migres, nec dare jura velis?
Dic age, num monitis quisquam parere recusat?
Debitus anne tibi forte negatur honor?
Non ita: ceu Patrem semper te Brixia ama-
vit;
Te coluit, jussis obsequiosa tuis.
Cur igitur mala te capiunt fatidica nostri;
Dilectaque prius linquere discis oves?

Aa

PATAVIUM EXULTANS

Afflictam Brixiam consolatur.

E L E G I A.

An experta tuos quia sanctos diligo mores;
Qui me cepit amor, sit tibi causa fugæ?
An quia sæpe tuum resonat mihi nomen in ore,
Et laudanda probo, sum tibi facta magis?
At si laudantem refugis, si linquis amantem;
Ut gratum invenias, dic mihi quo pro-
peras?

Forſitam ah! titulos Urbs nobis invida grandes
Obtulit; & meruit sic placuisse magis.
Verum te ne capi titulis potuisse superbis,
Qui sacro pridem Murice majoreras?
Ergo siste gradum: ac si te suspiria nostra
Nil tangunt, animi sis memor ipse tui.
Quemlibet ut recrees, satis est audisse gemen-
tem;
Conqueror; an soli tu mihi durus eris?
Sed quid ego hæc? Ignosce peccor non vera que-
renti:

Sani consilii vix finit esse dolor.
Fallor: & invitus nos deseris; Insula nil te
Nobilior; nil te Pallia sacra movent.
Ista licet delata diu, non fumere certa
Mens erat; id nostri nempe jubebat amor.
Sed fugiens lucem fe prodidit inclyta virtus;
Nec potuit pretium dissimulare suum.
Te mihi quæ quondam dederat, te dextera eun-
dem
Eripit; & tibi jam non licet esse meo.
Ad majora vocant Superi; teque insula poscit
Clarior; at meritis vix tamen æqua tuis:
Quid plures frustra numeras, hoc munere dignos?
Tu magis, haud dubio iudice, dignus eras.
Teque utinam Pastore, cliens tam digna vi-
deret:

Et potui, dignam si facit ullus amor.
Non sum digna tamen, fateor, potuitque negari:
Sed queror ereptum, qui fuit ante datus.
Delatum ergo Pedum, & Superum ne despice
dona:
His frueri, at nostri tu tamen esto memor.
Esto memor, quoties instantia monstra fugaris:
Ut sum sæpe tua libera facta manu:
Ut cessit tibi dira fames, ut turbida Erinny;
Utque suis error concidit ipse dolis:
Vifus ut es nobis, nolles licet ipse videri,
Ferre per agreſtes, ara cibosque, casas:
Vifus, dum patre ac Medico fugiente jacentem
Ægrum, pro Medico, pro patre solus eras.
Sed quoniam nostrum videor nimis ultra dolo-
rem,

Panca quod ista tibi sum semel ausa loqui:
Nec satis hæc, tua quod fuerint, memorata pla-
cebunt;
Fac animo noster sæpe recurrat amor.
Fac animum subeat, (si te meminisse juvabit)
Quantis te raptum stertibus orba querar.
Orba querar, quando festo tibi murmure plaudit
Urbs Patavi, heu! damnis facta beata meis.
Lætior illa novos tibi dum festinat honores,
Flebilibus nolim displicuisse modis.
Da veniam, haud noster turbabit publica lætus
Gaudia: & ille tuæ pars quoque laudis erit.
Ecce meos, hilari quoties Urbs inclita versus
Personat & gemitus audit, & ipsa probat.
Quæ quoniam visa est nostro ingemuisse dolori,
Et iustis paritur stertibus esse locum:
Olli utinam longum, quod dant modo Numina
fervent:
Et fortem subeat serius illa meam.

Praefens scripta venit Patavi tibi littera ab
Urbe,
Jacturis dives quæ modo facta tuis.
Illa venit non culta fati, sed parce; tumultus
Me facit ingenii parte carere mei.
Dum loquor Urbs resonat tota, elatoque sub
auras
Murmure, FRANCISCUM clamor adeste re-
fert.
Ingeminant populi plausum, longumque per æ-
vum
Vivat, io: ingeminant compita vivat, io:
Vivat GREGORII sanguis FRANCISCUS, &
hæres;
Hæres virtutum, nunc erit & Solii.
In numerum resonant sacris e turribus æra:
Gaudet & cuncti Praesulis ore frui.
Jam canit ore potens DE MURRO, gloria Pindi,
Et vocat in sacros agmina docta choros.
Mollibus hic Elegis, hic versu grande sonanti,
Liberius laxis plaudit & ille modis.
Dum tamen hi plaudunt varie, vox omnibus
una est,
(a), Non cecidit Patruus, dum stat in
Urbe Nepos.

Quid juvat ah! dices, plausus memorare super-
bos?
Quis furor est, miseræ gaudia vestra loqui?
Nonne satis magno læguebam perdita lætu;
Ut veniat nobis hac quoque parte dolor?
Falleris; est etiam plausu solamen in isto;
Et poterit lætus attenuare tuos,
Non capitur nostro, quem lugens, carmine Prae-
sul;
Undique dum circum-plauditur, ille gemit.
Arte pia cupiens humiliter celare sub umbra,
Quæ Deus in claro sole videnda dedit.
Verum si tot laudum inter præconia, quædam,
Ut fit sæpe, tuum Carmina nomen ha-
bent:
Tum vero exultat, vultusque fetenat amœnos
Lætior, & nunc se probat esse tuum.
Hæc seu Naso canat, seu Flacus, Virgiliusve;
Carmen ni claudat Brixia, non placuit.
I nunc, & jactes tristem invidiosa querelam:
Non abiit, qui te corde sinuque gerit.
Pone igitur tristes dudum male turbida lætus.
Desine sublato Praesule, fata queri.
Desine mœsta diem pulchrum temerare querelis;
Lætitiâ insicant neu tua damna meam.
Festa Deus si quando sibi præcepit, honores
Turbari lacrymis non amat ille suos.
Digna quidem fueras; (quamquam tamen ipsa ne-
gares)
Is quoque te Sponsa, te grege lætus erat.
Ait ubi Sacrorum Princeps mandavit ab Urbe,
Invitum Mitre munera ferre meæ:
Cedat jam tandem lætata modestia fati:
Desinet esse pius, ni meus esse velit.
Frustra, crede mihi, virtus sibi noxia lucem
Invidet; & meritis pugnat iniqua suis.
Quam valeas æquum est, publicis succurrere re-
bus:
Quantum quisque potest ni juvat, ille no-
cet.

Fin.

Finge tamen raptum; nonne & sua munera Numen,
 Seu dare, seu placeat tollere, jure potest?
 Cede mihi quem fata jubent: abiisse coactum
 Hoc satis; hoc poteris dicere, Noster abit.
 Aspicias ut varios passim natura per agros,
 Volvere fecundas flumina jussit aquas:
 Par fuit hunc etiam non una in Sede morari,
 Dives ut in multos fundere possit opes.
 Non tibi Praeful erit, fateor, sed tutor & auspex:
 Altius erectus proderit inde magis:
 Inde tibi attentus sangetur munere Divum,
 Qui vel ab aethera nos procul arcus Juvant.

Scilicet & plantas, propior quas extulit olim,
 Sublimi longe Phoebus ab axe fovet.
 Nunc ergo in tantos erumpere desine fletus,
 Quos meruit Praeful, quos tuus urget amor.
 Sed si flere libet, quoniam est flevisse voluptas,
 Audi quae saltem causa doloris adest:
 Audi, ut sic dicas plausus miscere dolori:
 Pastoris pietas obsuit ipsa gregi.
 Atque utinam sic illa mihi contingat obesse;
 Pastoremque ferat, quo meruit folio.
 Neutri tunc oberit, quae toti proderit Orbi:
 Quem gemis amissum, tunc tibi Pastor erit.



D I F E S A D E L G I U D I Z I O

FORMATO DALLA S. SEDE APPOSTOLICA

NEL DI' 20. NOVEMBRE 1704.

E pubblicato in Nankino dal Card. di **TOURNON**,
 alli 7. febbrajo 1707.

I N T O R N O

A' RITI, E CERIMONIE CINESI:

CONTRO UN LIBELLO SEDIZIOSO

INTITOLATO:

Alcune riflessioni intorno alle cose presenti della Cina.

A cui vengono annesse tre Appendici contro le tre Scritture Latine, ultimamente stampate dalli
 Difensori de' medesimi Riti condannati.

O P E R A

DI UN DOTTORE DELLA SORBONA

*Trasportata Dal Manoscritto Francese da un
 Religioso Italiano.*

DEFENSIO JUDICII &c.